

Huic non absimilis est ea alia quam 4. capite texit. Cum dicit Platonem in Re publica pauca determinasse; nihil tamen carpit praeter quod praetermisserit meminisse, an agricolae et artifices alicuius sint participes magistratus, armorum, belli. Falsa
5 est imputatio non fuisse id a Platone determinatum. Nam si in civitatis partem non sunt vocati, quid oportuit dubitare an participes sint magistratus? Atque hactenus de iis quae in Re publica Platonis Aristoteles prave ac falso reprehendit.

Ad libros De legibus transfert sermonem, quorum τὸ μὲν πλεῖστον μέρος⁴², *maximam partem* leges tantum esse dicit. Quid tum? Nonne hoc consone ad inscriptionem? Aliam tradit in his *παιδείαν, educationem*. Sane, quia civitatem hanc minus perfectam ac magis ad hominum communem usum accommodatam, an ideo est reprehensione dignus?

15 Quid autem intelligat in his verbis:⁴³ *Et vivere abstinentes ab operibus necessariis*, ariolo est opus.

Collaudat deinde Socratis sermones, quod excellentiam habuerint, quod cultum, quod novitatem, quod indagationem, sed:⁴⁴ *Sed bene omnia forte difficile*. Quid tum? Id omnibus humanis rebus accidit: id ipsi Aristoteli in antiquorum reprehensionibus, in aliis multis evenit. [354]

Neque bene carpit. Quinque mille pugnatores cum uxoribus et servis ociosos alere opus esse regione Babylonica. Nam ipse met postea libro 7. capite 4. numerum civium determinans ait:⁴⁵
25 *Clarum itaque quod hic est civitatis terminus optimus, maximus multitudinis excessus ad sufficientiam vitae conspicuus*. In qua maxima multitudine ac superabundantia videntur plures quam quinque mille pugnatores, cum cives solos intelligat, pugnatores scilicet

⁴² [ARIST. Pol. 1265a.1]

⁴³ καὶ τὸ τῶν ἔργων τῶν ἀναγκαίων ἀπεχομένους ζῆν. [ARIST. Pol. 1265a.7 – 8]

⁴⁴ καλῶς {δὲ} πάντα ἵσως χαλεπόν. [ARIST. Pol. 1265a.12 – 13]

⁴⁵ δῆλον τοίνυν ὡς οὗτός ἐστι πόλεως ὅρος ἀριστος, ἡ μεγίστη τοῦ πλήθους ὑπερβολὴ πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς εὔσύνοπτος. [ARIST. Pol. 1326b.22 – 24]